Primo ut quotidie Psalmus Davidis unus perlegeretur ceteris omnibus actionibus aperto
capite et vel erecto corpore aut flexis poplitibus in potiorem devotionem, inchoando
Psalterium ab eo die qui tunc erat, absoluto Psalterio inchoaretur ab eodem sempiterno gyro
Ac mox flexis ad Deum omnipotentem genibus à 5°. Psalmo eo die inchoarunt.
Maior exinde invasit omnium mentes devotionis desiderium. Illuminatus oravit consocios
omnes ut tam pulchri ordinis sanctissimus è caelesti choro eligeretur protector qui
apud Deum assiduis oraret pro omnium salute precibus qui suis meritis pro nostri
intercederet erroribus, negotijs inde, felici exordio ac studijs faveret, Nihil
illius contra laudatum ab omnibus sacerrimum Monum institutum postulavit
ab eo Ill.mus Princeps ut dum primus eam sententiam enunciaret etiam
quem sibi suscipiendum esse putaret eum adferret. Sic etiam ceteris exhor:
tantibus. S. Joannem Evangelistam, Virginem Lyncei ordinis protectorem fore
optimum pluribus rationibus ostendit. Jam enim castitati et puritatis stati
inter singulos foedus erat, honestatem maxime unusquisque affectabat, Sapientiam
summopere desiderabant, et pro ea acquirenda noctes diesque vadabant, Aquila
quo eius explicari solet vexillum, Lynceorum principijs erat symbolum, Tandem
ob innumera consimilia inter tot sacerrimorum virorum chorum hunc rectè di:
gi posse proposuit, Sammanius illico recepit, statim omnes unanimiter con:
senserunt et S. Joannem Evangelistam cui Christus matrem virginem virgi:
ni commendavit. in protectorem, defensorem, apud Deum intercessorem, et
ortus lucis munitorem susceperunt, et demissis iterum ad terram genibus
extensis in caelum manibus. S. R. Ecclesiae consueta oratione et Antiphonis in
vocatus et proclamatus est, Videbatur iam tendere ad vesperam serus
dies totus gaudio ac hilaritate transactus. Dum simul omnium Lynceorum
ore statutum fuit, ut tam devote inceptus dies pijssime clauderetur etiam
Ut ministrorum visitarent simul cum principe vestitio curru. S. Joannis
Evangelistae templum in urbe in Monte Caelio quemadmodum illico actum.
Ibi statim Princeps cum ceteris post longam orationem, se suaque omnia
Sancto Joanni Evangelistae commendarunt. ut rerum, actionum, cogi:
tationum et studiorum quoque sacram curam ageret, ut pio si par erat fave:
ret incepto, ut divinum à summo creatore impetraret auxilium, ut ita Lyn:
ceorum custodiam ageret nec eius nec omnipotentis Dei gratiam amit:
terent. Ut et Sanctissimam dei genitricem propitiam haberet ut eius
que sub presidio quasi viverent, Eaque religione totus ita dies ille transactus
fuit ut sero vespere et nocte domum ad Lyceum reverterentur, ibi omnibus de:
nuo dispositis, imperatum fuit ~~[illegible]~~ [pateret] lyncem unusquisque praecipui
vero anni festis torquem cum lynce pendula. Praeterea ut ordinum unus
quisque ad integrum vitae curriculum omni die flexis genibus oratione aliqua
S. Joannem Evangelistam pro intercessione apud Deum flagitaret. Hisque
religiosis exordijs sumpsit Lyncealis felix Primordium, Durationem
cupido Deus longissimam non denegabit petentibus, et tam piè petentibus
sub sacro hoc praesidio sub eius timore suppliciter sapientiam petentibus.